

Dissertationes medicæ

1. Alberti de Podagra præservatione
2. Ei: de Podagra prærvanda
3. Ei: de militum valetudine tuenda
4. Ei: de Caritie præmatura
5. Ei: de Cætrophia infantium
6. Ei: de effonen mutatione sub morbis
7. Ei: de partu Serolino
8. Ei: de excrescentia nasi
9. Ei: de natura morborum medicatrix
10. Ei: de Fæte mortuo
11. Ei: de Doffringentium perverso in hæmorrhagiis
usu et effectu
12. Ei: de vestitus viris morborum caufis
13. Ei: de Fonte medicato Freyewaldensii
14. Ei: de Medicina stratagematice
15. Ei: de Ischiadico male
16. Ei: de Spiratione hypochondriacorum
17. Ei: de Febri fugorum selectu et cauto usu
18. Ei: de Hæmoptysi
19. Ei: de Vactis cauto usu medico

20. Alberti de Sensibilitate personali
21. Ej: de Coffee potus usu noxio
22. Ej: de Panacea
23. Ej: de Therapia per dolores
24. Ej: de abortus violenti modis et signis
25. Ej: de Curationibus sympathetis
26. Ej: de Venæ sectionis utilitate in
gravidis
27. Ej: de Aeris fodinarum metallicarum
noxio
28. Coschwarz de Hypopygo
29. Ej: de Gleetodo medendi individuali,
generali non contrariante
30. Ej: de noxiis ex sepultura in templis.
facta oriundis
31. Ej: de Diarrhoea bilosa
32. Ej: de Diarrhoea serosa

DISSE^TAT^O IN A^NG^UL^AR^IS MEDICA,
DE
**ATROPHIA
INFANTUM,**

Quam,
A U S P I C E D E O P R O P I T I O ,
Et C o n s e n s u atque A u t o r i t a t e G r a t i o s e F a c u l t a t i s M e d i c a e ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R A E S I D E

D N . D . M I C H A E L E A L B E R T I ,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CON-
SILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD.
NAT. CUR. COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, etc.

D N . D E C A N O S U O S P E C T A T I S S I M O ,
Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS,

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S E T P R I V I L E -

G I S D O C T O R A L I B U S L E G I T I M E I M P E T R A N D I S ,

H O R I S L U C O Q V E C O N S V E T I S ,

A N N O M D C C X X I X . D . M A R T .

Publicè ac placida eruditorum ventilationi subjiciet

A U C T O R R E S P O N D E N S

J O A N N E S F R I D E R I C U S B O E L I ,

B E R T C K O W I O - P A L Ä O - M A R C H I C U S .

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

Dissertatio inauguralis medicæ

АИДОПАЯ АРГА МУСЛМАНИ

ALLEGRA DEDICATA A MUSICA

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

DNI MICHAELI ALBERTI
SACRA MVRIBORUM AVICCO ET CONSERVATORI CON-
STITUTIO. 1470. TITULUS NATALIS PROLATIONE
MAT. EX CONFESS. SECUND. REG. BORU. 1501. CIVIL. 1501.

THE DOCUMENTS OF THE EGYPTIAN
GOVERNMENT

JOANNES HERIBRIGUS BUELI

1877-1880 - 1885-1890 - 1895-1900 - 1905-1910 - 1915-1920 - 1925-1930 - 1935-1940 - 1945-1950 - 1955-1960 - 1965-1970 - 1975-1980 - 1985-1990 - 1995-2000 - 2005-2010 - 2015-2020

ANNE MAGDEBURGIO

THIS IS A CHRISTIAN FRIEND, AND A TYPE OF



PRÆLOQUIUM.



Nfantibus mederi arduum esse *Epiphanius Ferdinandus* aliquie in arte salutari doctissimi atque exercitatissimi viri satis luculenter demonstrarunt & quidem eam potissimum ob rationem, quoniam infantes non modo ob loquelæ defecatum nali sui conditionem atque magnitudinem neque medico, neque adstantibus indicare atque declarare valent, verum & plurimi a remediorum usu abhorrent, caneque pejus & angue illa fugiunt. Quam ob rem multi famigeratissimi medici uti *B. Wedel us*, *Schellhammerus*, *Seabilius* aliquie peculiaria scripta de morbis infantium publici juris fecerunt posteritatique donarunt, in quibus docuere, quomodo mala infantilia ex signis agnoscit, qua cautione præcaveri, & denique qua methodo atque arte, quibusque præsidiis debellari at-

A 2

que

que removeri possint atque debeant, ast vero viri
hi celeberrimi brevitati dum operam dederunt, non
omnia proferre atque litteris consignare proposue-
runt, sed varia posteritati in calamitatibus infantum
observanda atque annotanda reliquerunt. Quæ
cum ita sint, quum ab *Illustri Medicorum in celebri bac-
se Academia Fridericiana Ordine benignissime* mihi sit
demandatum *disputatione quadam inaugurali profectus*
meos in arte salutari publice demonstrare, ipse mihi
morbum quendam in nostris regionibus admo-
dum grassantem, multosque tenellulos vita privan-
tem, qui sub nomine ATROPHIÆ INFANTUM
venit, perractandum atque explicandum, quantum
vires debiles concedent, sumfi. Cui conatui *Altis-
simum Numen* ut divina sua clementia atque gratia,
uti hucusque studiis meis adfuit, jam quoque adsit,
humillimis, demississimis atque ardentissimis effla-
gito atque ambio precibus.

§. I.

Plurimi medici dissertationes scribentes verba tituli
explicare atque vocum etymon significare solent,
cui mori ut ego quoque satisfaciam, statim in limi-
ne dissertationis pauca de hocce monere animo sta-
tutum atque deliberatum habeo. Quilibet vel leviter lin-
guæ græcae cognitione imbutus, facile videre poterit, no-
men *Atrophia* conflatum esse ex *a privativo & τροφή νυ-
tritio*, sique nihil aliud nomine hocce intelligi posse, quam
privatio nutritionis. Quum vero in scholis medicis voca-
bulum *Atrophia* in admodum lato sensu, ita ut et-
iam

iam aduluae ætati competit, & illi qui læsionem ejusdam visceris notabilem in suo corpore fovent, verbi gratia infarctum vel scirrum vel etiam exulcerationem hepatis, lienis, pulmonum, renum, imo ipsarum glandularum mesaraicarum, aut qui scorbuto, lue venerea aliisque morbis, nutrimentum corpori defraudantibus, laborant, *Atrophia affligi* dicuntur; pernecessarium & utile esse duxi vocabulum *Infantum* adjicere, hocque cuilibet indicare atque declarare, mihi animum esse saltim illam Atrophiam, quæ ætati infantili admodum frequens, & apud nos morbus sporadicus existit, quamque in sequentibus fusius atque luculentius describam, in præsenti dissertatione pertractare. Restat autem *Lectori Benevolo* adhuc scrupulum quendam ex animo ejicere, qui me vitiū ac nævi ejusdam merito accusare posset, quando in sequentibus quoque de *Atrophia puerorum* verba facio, quapropter heic indico, me sub ætate infantili quoque intelligere puerilem, licet probe sciam, *Latinos nomen infantis* derivare ab *in & fari* & sub hocce nomine eos intelligere, qui fari sunt inepti, qui suas cogitationes cum aliis communicare nequeunt, sed quoniam plurimi celebratissimi medici & ii qui libros integros de morbis infantum scripsere, & illi, qui saltim dissertationes exaravere, sub nomine *Atrophiae infantum* quoque puerilem pertractare solent, ego hac in re nil immutare, sed vestigia ipsorum premere & dissertationi meae titulum *Atrophie infantum* imponere volui.

§. II.

Hæcce Atrophia in germanica lingua vocatur das verzehrende Wesen, das Abnehmen der Kinder, die Dürre, die Zehrucht & in nonnullis Teutoniae locis das Rücklein dici-

tur. Mulieres medicinam mentientes, sed non recte intelligentes, quae a vulgo ut plurimum doctorissarum titulo atque nomine ornantur ac nobilitantur, quamprimum infante macilentum aspiciunt, plenis buccis evocant das Kind habe die Mitesier: attamen harum veterinarum pathologiae fucatae, absurdæ atque fictitiae non semper est adhibenda fides, neque earum experientiae superstitione facile dandus est locus. Nonnulli tamen extiterunt medici insimæ haud fortis, qui novum hocce inventum non solum approbarunt, verum etiam novi morbi genere ornarunt, atque appellarunt hæcce corpora, quæ in poris cutis inveniunt, quæque pro animalculis vivis venditant *Comedones*, *Crinones*, *Dracunculos*. *Comedones* quoniam infantes atque pueros necessario nutrimento privant: *Crinones*, qui crinum forma apparent: *Dracunculos* nomine horrisono, sed forma latente. Ast quid hæcce de opinione sit sentendum in sequentibus plura.

§. III.

Atrophia infantum est morbus, ubi tam partes internæ quam externe debito ac necessario nutrimento destruuntur ob impeditum chyli ad Massam Sanguinis in haud sufficiente quantitate gressum, & sic successivæ contabescunt.

§. IV.

Differit *Atrophia* ab *Hæcica* in eo, quod in hocce morbo tabida corporis consumtio tantum constitutæ symptomæ & ulcus aut Scirrum & infarctum Lienis, Hepatis vel alius cuiusdam partis pro causa agnoscat, in Atrophia vero strictè dicta non modo hæcce non simili modo adsint, sed quoque extenuatio corporis non sit symptomæ, sed ipse mor-

morbus & quidem idiopathicus. Differt quoque ab hectica ratione causarum, in atrophia enim infarctus tantum vel ad summum scirrhositas glandularum mesaraicarum; in hectica autem plerumque exulceratio cum febre aliquisque symptomatibus subeft. Porro ratione ætatis differt, hectica enim vera potissimum illos, qui pubertatem jamjam sunt transgressi, hicce morbus vero infantes, pueros ac puellas præcipue affligit atque excruciat. Quomodo differt a *Phtisi* probe quoque est annotandum, hujus causa scilicet semper latet in pulmonibus, ubi vera exulceratio adesse debet cum tussi humida & expunctione materiae fecridæ purulentæ sanguinolentæ, ubi integræ vomicæ insimul interdum ejiciuntur, alias morbus pro vera phthisi non est declarandus, in Atrophia vero causa morbi latet in abdome, ubi vel vermes vel ostiolorum vasorum lacteorum obstruētio, vel glandularum mesaraicarum infarctus malum cauſantur. Ab *Aridura* partium noster affectus quam faciliter distingui potest, in illa enim unum vel aliqua tantum membra verbi gratia pedes, brachia &c. necessario destituuntur nutrimento atque exarescunt, idque ut plurimum sita Paralyſi, in hoc vero non solum partes externæ, sed etiam internæ, in summa totum corpus depascitur. Distinctio quoque quædam est admittenda inter *Atrophiam* atque *Maciem*, siquidem in macie pinguedo tantum absimitur, in atrophia vero partes quoque musculosæ contabescunt atque exarescunt. A *Tabe* etiam differt, in qua omnes quidem partes emaciantur, sed longe ex aliis causis quam in Atrophia, scilicet a digestione depravata, a diarrhœa nimis diu durante, vel a fluxu cœliaco, Lienteria, Scorbuto, Gonorrhœa in veterata & chronica, nec non Lue venerea. Tandem

dem etiam distinguitur a Rhachitide vulgo der Englischen Krankheit non solum in eo, quod haec in nostris regionibus plerumque sequatur Atrophiam, sed & quod in Rhachitide non solum corpus contabescat, verum & oculis lese sistant tumores & superadcretiones artuum vel incurvatio tibiarum, spinæ dorsi, gibbositas, coxarum excrescentia, quæ vero omnia in Atrophia non ordinarie reperiuntur.

§. V.

Atrophiae Infantum causam immediatam esse chylum in haud sufficiente quantitate ad Massam Sanguinis delatum jam in descriptione Atrophiae dixi. Ejus cause vero sunt vel vermes in intestinis hærentes & debitum nutrimentum absumentes, vel obstructio ostiolorum vasorum lacteorum vel ipsarum glandularum mesaraicarum infarctus aut scirrhous, quarum peculiaris, si corpus tenelluli infestat, diversa introducit signa, ex quibus causa morbifica potest cognosci, una etiam ab altera ratione periculi, quod corpori infert, distinguitur, quare alia atque alia est formanda prognosie, tandem etiam cura non uno potest institui modo secundum Empiricorum perversum modum, sed quum morbos curare nil aliud sit, quam causas illorum extirpare, diversa quoque secundum varietatem causarum est instituenda methodus medendi, diversaque requiruntur remedia, de quo recte Celsus scribit Lib. I. Praefat. p. m. 4. Nisque enim credunt, qui rationalem medicinam profitentur posse cum scire, quomodo morbos curare conveniat, qui, unde hi sint, ignoret. Et non solum causam immediatam hujusque proximas medicus scire debet, sed etiam omnes illæ, quæ hasce producere valent, quarum interdum multæ dantur, rationali medico haud debent esse incognitæ, quod serio

ferio inculcat sapiens artis nostræ parens, *Hippocrates de Arte XX. 4.* ubi dicit: *Eum recte esse curaturum, quem pri-
ma origo causæ non fecellerit.* Qua de re me recta ingre-
sum esse via persuasus sum, si tres species Atrophiæ consti-
tuam & cuiuslibet pathologiam, diagnosin, prognosin at-
que curationem in specie sum pertractatus.

§. VI.

Initium itaque faciam ab illa Atrophia, quæ originem
suam habet a vermisbus intestinis hærentibus, ipsiusque
signa diagnostica sequentibus proponam. Conqueruntur
tenelluli de variis abdominis doloribus spasticis & maxime
morsicantibus circa umbilici regionem, qui post pastum
paululum remittunt, imo interdum intermittunt, quia ver-
mes tunc temporis accipiunt nutrimentum, quamprimum
vero hocce est consumtum, iterum incipiunt, tenellorum
intestina lancinare imo interdum corrodere, siquidem ob-
servatores multi in primis *Moronius in directorio medico pra-
etico* testantur, lumbricos intestina corrosissime & abdominis
cavum ingressos, hocque modo dira, insolita & enormia
symptomata induxisse, qualia saepe a fascino oriri putantur.
Experiuntur porro varia tormima tenesmoidea, ut saepius
desidere cogantur, praesertim jejuno stomacho, quæ in pri-
mis sunt praesentia, quando ascari des in intestino recto hæ-
rent, sive nuper habui in cura puellulam trium circiter
annorum, quæ atrophia laborabat cum tenesmo perpetuo
atque stimulo insigni ad urinam, ita ut etiam semper urina
exstillaret, ubi post usum trium, ni fallor, granorum pul-
veris Massæ Pilul. Confortantium *Cl. Junckeri, Praecepto-
ris mei honoratissimi*, ad modum Beccherianarum ex Aloe
depurata, extractis amaris atque gummatibus resinosis

B

præ-

præparatarunt, insignis ascaridum copia evacuabatur, quibus eliminatis statim stillicidium urinæ cessabat, & conamina tenesmoidea quoque non modo minuebantur, verum etiam paucis diebus post penitus silebant. Vexantur etiam crebrioribus vomendi conatibus, sub quibus copiosus liquor aquosus in os effunditur, id quod vulgus male sanum vocat der Herz-Wurim vesige sic quo tunc temporis maxime affici solent, quando vermes nutrimento sunt destituti, quamprimum enim ægrotantibus cibus suppeditatur, statim conatus vomendi imminuuntur, imo plane cessant. Hæc recensita symptomata exasperantur, quando ægrotantibus salina, amara, balsamica, acida & similia, quæ vermis sunt inimica porrigitur, quæ vero mox sopiri ac demulceri possunt mellitis, saccharatis & laeticiinis, tamquam vermis gratissimis. Quando ira commoventur statim pejus se habent, & morsificationes experiuntur, quia bilis in intestinum duodenum est infusa, quæ adversa est vermis. Vid. *Dn. D. Praes, Præceptor ac Patronus meus omnibonoris atque observantiae cultu æternum colendus, in Praxi Sect. VII. Cap. XV. de Vermibus P. V. pag. 646.* Quod vermes vero hæcce incommoda pariant, & bilis stimulando id non perficiat, ex eo probo, quia post assumptionem salium mediorum idem producit effectus, quæ tamen in parca dosi data morsificationes tales haud producunt. Vid. *D. D. Praes in Theropria Medica Cap. XIII. de Antihelminthicis p. 142.* Appetitus porro est vagus plerumque nimius, interdum vero etiam prostratus, feruntur maxime in cibos siccios & potus frigidos, calida autem ut plurimum respuant. Nares perpetua mucositate imo excoriatione affectæ sunt ob perpetuum

petuum pruritum, frictionem & scalptionem, quibus frequentissimae sternutationes interdum junguntur. Color faciei ex livido est pallidus, qui autem interdum mutatur in rubrum. Livescentia albugineæ tunicæ & concavitas oculorum interdum affectum hunc quoque comitantur. Sisticulositas ingens adest, praesertim tempore matutino, saepius vero etiam noctu. Fecotor oris & faecum alvina-
 rum est deterrimus & vix ferendus & alvus interdum laxa, ut plurimum vero obstruta. Urina est turbida, album repræsentans colorem. Noctu dum dormiunt admodum sunt inquieti, crebris pavoribus concutiuntur, dentibus strident, quidam deliriis evigilant, alii convulsionibus epilepticis, vel plane singularibus symptomatibus afficiuntur, ut pro incantatis a non intelligentibus habeantur. Vermes vero talia mala producere posse sequentes docebunt casus. *Magnificus Dn. Pro-Rector, Hoffmannus, Patronus ac Praeceptor meus summa animi reverentia atq[ue]m mantandus, aliquando in Collegio Pathologico-Practico enarrabat casum satis notabilem, ubi honesta quedam femeina ex vicinia cum filio X. circiter annorum ad hancce per-venit urbem, qui miris motibus convulsivis quotidie circa vesperam est excruciatu[s], ut etiam multi homines tum ex studiosis tum civibus curiositatis gratia huncce videndi advenerint, & judicium tulerint, morbum esse ex fascino. Mater multos heic loci medicos in auxilium vocavit & ipsum Magnif. Dn. Pro-Retorem, qui morbum ex vermis- bus oriri iudicavit, variaque adversus hos sunt ordinata re media, sed sine omni effectu, donec tandem Magnif. Vir jussit, ut clyster applicetur ex lacte atque melle, post cuius usum multi vermes sunt excreti, & æger, eliminatis hisce*

hostibus, pristinæ est restitutus sanitati. Similem casum mihi enarravit *B. Stabel*, *Medic. Doctor & Civitatis bujus Physicus adjunctus* de puerò, qui miris cruciatibus est vexatus, quorum causam calculum renalem esse alii medici dixerè, & quoque per IV. annos remedia contra calculum dedere, sed sine effectu, donec tandem in consilium vocatus est *B. Stabel*, qui affirmavit morbum ex vermis oriri, eumque in finem ipsi anthelminthica propinavit, post quorum usum lumbricus valde longus est excretus, & sic calculus fictus una vice expulsus, & puer a talibus motibus in totum est liberatus. Ego quoque hac in re experientia nuper sum edoctus, dum visitavi puerum XIV. annorum, cuius parentes auxilium sibi expetebant a *Clar. D. D. Junckero*, qui motibus convulsivis per aliquod temporis spatium valde vexatus erat. Ego, posteaquam circumstantias probe examinaram, causam morbi vermes esse adstantibus non solum indicabam, verum & *Cl. Junckero* referebam, qui praescribebat Essentiam quandam amaram anthelminthicam & pulverem purgantem, & post duos dies vermes erant enecati, aegerque cum pristina sanitate redibat in gratiam. Insuper venter in infantibus talibus est turgidus, artus autem tam superiores quam inferiores imo totum corpus extenuantur, ut macie quasi pelluceant & aridite crepent infantes, tempora enim collabuntur, costæ protuberant, scapulæ alarum instar prominent, accidente ut plurimum febre lenta, qua omnia maxime circa novilunium & plenilunium exasperantur. Dixi totum corpus extenuari, nam quando unum latus saltim afficitur, casus est rarissimus, qualem referunt *A. N. C. Dec. 2. an. 5. obs. 136.* ubi scribunt: *Puella VII. annorum, mercatoris filia, nunc ab anno*

anno atrophia laborare caput, & quidem unius lateris scilicet sinistri, quod latus ab axillis usque ad calcem ita emacatum est, ut nibil præter ossa & cutem appareat, altero late re bene & naturaliter se habente. Hæcce sunt signa ex quibus vel omnibus vel saltim plurimis conjunctum sumtis firmiter concludere licet, *Atrophiam ex vermis* esse præsentem.

§. VII.

Confero me nunc ad diagnosticam pertractionem secundæ speciei Atrophiae, cuius causa ab obstruktione tunicae villosæ intestinorum est derivanda. Hæc Atrophia cum antecedenti & subsequenti signa nonnulla habet communia, quædam autem propria. Sic tumor abdominalis, reliqui corporis marcor ac contabescentia, sitis magna, uti in illis sic etiam in hac adsunt, in eo vero latet distinctione, quod in hac nulli adsint in abdomine nodi atque topi, nullæque morsificationes, multo minus motus convulsvi, dein alvus heic quam maxime est fluxilis cum refectione ciborum semidigestorum, in aliis Atrophiae speciebus e contra utplurimum sicca. Febris non semper adest, & quando occurrit, longe lenior deprehenditur.

§. VIII.

Accedo tandem ad tertiam Atrophiae speciem, quæ originem suam habet ab obstructis glandulis mesenterii, queque est frequentissima, ejusque diagnosis brevibus tradam. Ut in infantibus facilius est vermium præsentiam cognoscere, quam in adultis, sic etiam glandularum mesentericarum obstructio longe facilius in puerili ætate constitutis, quam in adultis cognoscitur, sepius enim in his obstructioni mesenterii causa morbi adscribitur, licet post

mortem hepar vel lien scirrhosum sit inventum, & econtrario saepius infarctui vel scirrho hepatis aut lienis morbus adscribitur, ubi post mortem glandulae mesenterii obstructae inveniuntur. Sic affert *Tulpius Lib. II. C. XXXII.* exemplum, ubi glandula mesenterii tantam habuit magnitudinem, ut post mortem cadavere secto steatoma in mesenterio fuerit inventum, quod bilanci impositum XVIII. libras ponderavit, licet omnes sibi certe imaginati sint, ægrotantem Hydrope laborare. Plura talia exempla legi possunt apud *observatores*. In infantibus, pueris ac pueris languor totius corporis ac flacciditas adest, quæ in dies invalescit, torpor animi, fastidium omnium rerum & summa sensibilitas, somnus est levis & inconstans, appetitus plerumque est maximus, in desperato malo vero prostratus, frigida amant, calida fugiunt, post assumptum cibum insignem angustiam atque molestiam percipiunt, color faciei est depravatus, cum aliquali ejusdem inflatione & labiorum pallore, oculi non amplius uti antea fulgent, post somnum interdum palpebra tument, & reliquæ partes corporis externe emarcescent, alvus modo est lubrica modo secca, ut plurimum vero secca, urina crassa est, aliquoties plane chylosam illam observari, abdomen est turgidum, tensum atque durum, & si tangimus, multos nodos percipimus, interdum in progressu morbi flaccescit, ante mortem vero quod totum abdomen sit collapsum nuper in pueri vidi, adest quoque sitis cum siccitate multa oris, in primis si jam febris est præsens, quæ autem si adest, per noctem maxime affligit. Hæc symptomata si nimium sumunt incrementum, nec convenienti medicina illo-

illorum atrocia impeditur, succedit vera febris lenta ali-
quando hectica cum insigni virium prostratione.

§. IX.

Tradita nunc diagnosi, me ad pathologicam explicationem converto. Prioris speciei Atrophiæ causa, ut in antecedentibus dixi sunt vermes, in Ventriculo atque intestinorum canale stabulantes, quorum secundum plurimorum atque celebriorum medicorum assertum tres tantum dantur species, licet alii quatuor, alii quinque, alii vero adhuc plures allegant atque recenseant. Quidam sunt teretes longi, quibus ob similitudinem, quam cum lumbricis terrestribus habent, nomen lumbricorum imponitur. Alii sunt lati & vel solitarii sese volunt, ad quorum classem cucurbitini, semine cucurbitæ similes, referuntur, vel categnatim subinde cohærent, & e latitudine sua in longitudinem multarum ulnarum diducuntur. Alii sunt teretes breves, qui ascarides vocantur, & vermiculis casei similes sunt, qui saltum facere solent, sed talis motus in hisce ascaridibus non ita deprehenditur, licet denominationem inde nempe ab *aseni* moveo accepisse videantur. *Vid. Cl. Junckerus in Conjectu Medic. Theoretico-Practicæ Tab. CVIII. p. 843.* Hi ultimi in intestino recto uplurimum stabulantur, ubi sensibilem molestiam, titillationem, pruritum & tenesimum inferunt. De causis vermium multum adhuc inter medicos disputatur, quorum sententias si quis legere cupit evolvat *Harvei Exercitationes & Christ. Frid. Garmanni tract. Quod omnia ex avo, B. Wedelium in Pathologia Dogmatica Sect. II. Cap. V. Varronem L. I. de re rustica Cap. XII. Josephi de Aromaticar. epistola elegantissima Libr. de rabie contagiosa praefixa, Schenckium in diff. de vermis in testi-*

testinorum. Ego verissimum esse arbitror, illorum causam
 efficientem esse seminium quoddam, ab extra in corpus per
 cibum & potum vel alio modo delatum, quod vero enutri-
 ri potest, quando cibi in primis viis non recte concoquun-
 tur, sed putrescunt, observari enim licet vermes in illorum
 corporibus produci, in quibus actus digestionis est depravatus,
 qui multos cibos mucidos, dyspeptos, saccharata,
 mellita, aliaque dulcia magna in quantitate comedunt, quae
 assumta si non recte digeruntur, plus justo diutius in pri-
 mis viis haerent atque putrescunt, ubi successive copia qua-
 dam vermium generatur. Heic objicere mihi quidam pos-
 set, ac si dulcia non bonum pabulum essent pro vermbus,
 sed illos necaret, & quidem innexus asserto *Scipionis Mer-*
curii L. de Olysteric. C. LV. p. 819. qui statuit, dulcia naufe-
 am parere vermbus, & potius proventum eorum impedi-
 re quam radicem pretendere, ast vero merito hancce sen-
 tentiam falsam esse arbitror, quia non solum fere omnes me-
 dici contrarium asserunt, verum & omnibus mulierculis
 est notum, quod illi infantes, qui dulcibus nutriuntur, non
 solum multos vermes in intestinis plerumque foveant, ve-
 rum & in capite sane non paucos pediculos. Si vero ali-
 quando inde necarentur, quod tamen erit rariissimum, fit
 per accidens ob superfluum nutrimentum, id quod confir-
 mat *D. D. Praes in sua Therapia medica Cap. XIII. de An-*
thelminthicis p. 141. Multo citius vero vermes generantur,
 si cibi, qui assumuntur, jam putredinem quandam contra-
 xere, observavi enim aliquoties, quod, si nutrices aut ve-
 tulæ dentium carie laborent, vel os non quotidie aqua pu-
 ra coluant, ut certa quantitas cibi intra dentes haerens ma-
 neat atque putrefeat, vel alia oris labo uti fistula, ulceræ sint
 affe-

affectæ & cibos infantum masticent, quam facilissime in infantum corporibus producantur vermes. Lac quoque symbolum suum confert, in primis si ob debilitatem Ventriculi infantum lac justo diutius in illo stagnat, quod sit, quando infantes a natura nimis sunt debiles, aut lac nimis est crassum atque viscosum, aut mammæ fere semper offeruntur, & sic plus justo ingeritur, quam ventriculus imbecillis ferre potest. Vermes vero ex lacte produci, quotidiana loquitur experientia, quando enim lac recens ponimus in locum calidum, post aliquot dies vermes in illo generantur, item in caseis, qui nihil aliud sunt quam pars lactis coagulata, saepissime vermes reperiuntur. Obstructio alvi etiam multum contribuit; alvo enim obstructa faeces ob diurnam moram putrescent, & ex hac putredine procreantur vermes, & hoc modo ascrides in primis suum capere orrum opinor. Hi vermes si in ventriculo ac intestinis haerent, absunt maximam chyli portionem, ita ut pauca quantitas saltim perveniat ad massam sanguineam, quæ efficit, ut infantes adhuc subsistere possint; si enim nullus chylus ad portaretur ad sanguinem, infantes post breve tempus diem obire supremum cogerentur.

§. X.

Jam alterius Atrophiae speciei causas investigabo. Oscula vasorum lacteorum saepius in infantibus obstrui & amurca quadam viscida glutinosa & solidescens naturæ aliquando facta obliniri multi medici & anatomici, qui infantes, tali modo obsessos, post mortem dissecuere, observarunt. Radices enim vasorum lacteorum admodum sunt tenues, imo adhuc tenuiores, quam in canibus, quia in his sunt pauciores quam in hominibus, (vid. Clar. Heisteri Com-

C

pendi-

pendium anatomicum, edit. alter. p. 64. & delineationem ipsius Tab. II. Fig. 8.) quæ facilime materia quadam obstrui, vel adstringente quodam constringi possunt. Deinde etiam ex aliis observationibus sana ratione satis superque concludere licet, atrophiam præsentem non ab obstructis glandulis dependere, sed ex alia causa originem ipsius esse derivandam, quando scilicet observamus, infantes quosdam atrophia in summo gradu laborantes, brevi temporis spatio leviter detergentibus & abstergentibus lenissimisque laxantibus ab hocce malo liberari; ita nuper militis cuiusdam uxor pro sua puella, quæ VII circiter erat annorum, auxilium a Cl. Dn. D. Junckero petebat, quain ego cum sorore, quæ variolis tunc temporis laborabat, visitabam, hujus abdomen valde erat dilatatum ac tumidum cum cedemate pedum atque superiorum partium marcore, cui D. D. Junckerus præscribebat pulverem incidentem atque abstergentem, ex tartaro vitriolato Tachenii & conchis cum succo citri recentis imbutis, nec non pilulas suas confortantes superius jam memoratas, post quorum remediorum usum insignis quantitas humoris mucosi, tenacis atque viscidii per alvum excernebatur, & paucis diebus præterlapsis, iterum, quod valde mirabar, cum valetudine redibat in gratiam. In hocce casu causa Atrophiae haud erant vermes, nam nulli excernebantur, & ægra tamen reconvalescebat; infarctum vel scirrum glandularum meraicarum non fuisse, nullus sane prudens medicus in dubium vocabit, quippe illis, qui praxin medicam exercent, est notissimum, quam difficile sit, longumque requirat temporis intervallum infarctum cuiusdam partis corporis humani optimis atque congruis pharmacis resolvere, sic ut

ut interdum ad glandularum mesaricarum infarctum di-
scutiendum trinestre, quadrimestre anni, imo adhuc longius
requiratur spatium, dein scirrus, si vere talis est, ut
plurimum nullam admittit sanationem, sed inter morbos
incurabiles habet locum, quapropter merito concluso,
causam fuisse obviscatio ostiolorum ductuum lacteorum,
quia mucus viscidus excernebatur, & quoniam ægra tam
brevi tempore a morbo liberabatur. Causæ vero quæ
hanc obstructionem causantur sunt variae, primo omnia
mucida, viscida, lac coagulatum & crassum, panis calidus, pla-
centa non bene fermentata, pulmenta crassiora ex farina tri-
tricea, pinguendines, ut vervecinae, facile in coagulum abeun-
tes, & ejusmodi generis plura, quæ omnia facultate pollutent
obviscandi atque obstruendi parva illa ostiola ductuum la-
cteorum, in primis si illis, qui jam potui sunt adsueti, non
potus dilutus atque sufficiens porrigitur, ut cibi assumti
satis dilui possint, quo bonæ note chylus ex ipsis præpa-
retur, qui commode vasla lactea intrare atque penetrare
queat. Dein hocce malum quoque causatur imprudens
adstringentium, in primis martialium usus, quæ facultate
pollent hæcce ostiola constringendi, ut accessus chyli
successive præcludatur, sed etiam ipsas glandulas mesarai-
cas indurandi atque obstruendi, ut taceam reliqua mala,
quæ ex abuso horum remediorum in reliquis corporis vi-
sceribus sua trahunt incunabula. Salium mediorum nimium
usum quoque ad malum hocce procurandum suum
conferre symbolum medici quidam observerunt, & qui-
dem eam potissimum ob rationem, quoniam fibræ tenel-
lulorum sunt tenues atque imbecilles, salia neutra vero uti
tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, sal anglica-

sum, nigrum antimoniatum, sal Sedlicense, sal mirabile
 Glauberi, & quæ hujus generis sunt plura, stimulant atque
 nonnunquam constringunt fibrillas, & hoc modo post lon-
 gum atque in magna dosi adhibitum usum horum salium o-
 stiola vasorum lacteorum constringuntur. A nimia adhibi-
 tione terreorum absorbentium, uti sunt conchæ præparatæ,
 corallia, lap. s. oculi cancer. &c., quoque obstrui posse fo-
 ramina vasorum lacteorum firmissime opinor, observa-
 runt enim observatores, qui corpora illorum cultro ana-
 tomico dissecuere, quibus absorbentia in nimia dosi tam
 a medicis quam ab aliis sunt propinata, quod crustæ quæ-
 dam, solidescens materiæ tum in Ventriculo tum etiam
 in annexis intestinis tenuibus oculis sese subjecerint, quæ
 vix ab horum substantia divelli potuerunt, sicque non so-
 lum in ventriculo separationem liquoris gastrici prohibu-
 erunt, verum & ostiola vasorum lacteorum clausere, ut
 sic chylo aditus ad sanguinis massam fuerit præclusus. Acce-
 dit & illud, quod quædam terrea absorbentia imbuta sint vi
 quadam leniter constringendi, si itaque perveniunt ad inte-
 stina in nimia quantitate ostiola ductuum lacteorum etiam
 possunt constringere, hoc modo successive illa obstruerent.
 Posset heic quidam mihi objicere: absorbentia absument
 acidum & hoc modo generatur sal medium, quod pollet
 virtute incidente & in pauca dosi infantibus non nocet,
 atqui in ventriculo est acidum, ergo illud absument; ma-
 jor & minor haud possunt negari, ergo conclusio etiam
 sequeretur; ast enim vero merito heic limito proposicio-
 nem minorem, & dico, si acidum semper adest in suffici-
 ente quantitate, qualis requiritur ad illam proportionem
 terreorum, quæ datur, tunc semper generatur ex con-
 jun-

junctione horum corporum sal medium, sed hoc non reperitur, quando absorbentium nimia quantitas assumitur, ergo etiam non saturantur acido & sal inde sit neutrum sive digestivum. Dein, etiamsi generetur sal medium, hoc noxam inferret, quoniam nimia copia adesset ex nimio usu absorbentium orta, haec enim si recte ac parce adhibentur, numquam nocent. *Sylvius in praxi Lib. I. Cap. 16.* annotavit, atrophiam ortam fuisse a Dysenteria diuturna & exulcerata, forte ob cicatrices in ostiolis vasorum lacteorum factas, & *Magnif. Hoffmannus in dissert. de Atrophia* allegat casum de matrona quadam nobili in Belgio, cui loco mercurii dulc. ab imprudenti famulo pharmacopeco mercurius sublimatus corrosivus quum fuerat exhibitus, post maxima ventris tormenta tandem exulcerationem oscularum vasorum lacteorum incurrit, & deinceps totius corporis atrophiam atque maciem extremam, atque ea aliquot menses post misere periret.

§. XI.

Tertiæ Atrophiæ speciei causam investigaturus primum moneo, mesenterium in se & sua natura ad morbos subiectudos esse idoneum, quia multis vasis sanguiferis, variis anastomoses arcus & insulas constituentibus & multis glandulis constat, quæ inter membranas locatae, multaque pinguedine sunt circumdatae, quæ fibras vasorum glandularumque reddit laxas, ut non tam vegetus sit tonus in hisce partibus & per consequens humores, qui per ea fluunt, non expedite propellere possint, & sic obstructionibus ansa suppeditatur, quæ eo citius oriuntur, quo magis motus corporis negligitur, & per varia in diæta vitia tonus partium debilitatur. Vid. hac de re plura in *Magnif. Hoffmanni diff.*

de febribus mesentericis, in Martino Martini Libr. de morbis abstusis mesenterii, Sylvio Prax. de intestinorum doloribus, Fernelio Libr. II. C. VIII. Horstio Libr. II. observ. 8. 4. Mercato Tom. III. Lib. I. C. XVII. Causarum, quibus glandulae mesentericae obstruktionem quandam pati possunt magna est farrago. Primum locum meretur nominata debilitas mesenterii, que major evadit, quando haereditaria concurrit dispositio, observavi enim, quod imbecilles ac debiles parentes tales quoque habuerint liberos, & in qua parte pater vel mater debilitatem aut etiam actualem lesionem habuerit, in eam quoque liberi ut plurimum incurrerint, ita ut experientia doceat, atrophiam quoque, uti Rhachitis sive morbus sic dictus Anglicus, familiis quibusdam esse proprium, cuius causam eriam pono in debilitate partium solidarum.

§. XII.

Infantes nuperrime nati sepius afficiuntur Atrophia, ita ut corpora eorum omni fere carne privata adeo flaccida saepe cernantur, ut ossa vix muscularis tegantur, & vulgus in eo versetur errore, tales infantes primis diebus post partum ab incolis subterraneis permutatione facta ad se, uti dicunt delatos, suos e contra, ante sacri baptismatis adspersionem clam sublatos esse, unde tales quoque Wechsel-Bälge vocant. Hujus causam obstructionem pororum cutaneorum esse putat Cl. Dn. D. Chuden in scripto, cui titulus: *Methodus nova præservandi & curandi Atrophiam seu Maciem Infantum* dum scilicet transpiratio non posset fieri in utero materno multæ impuritates in sanguinis massa colligerentur, que nutritum bonum acrimonia sua conspurcarent, hocque modo impediretur, quo minus corpus

pus tenelluli incrementum capere possit. Licet non negare audeam, quod a transpiratione prohibita multi morbi infantiles sua trahant incunabula, multique viscidi atque acres colligantur humores, qui etiam interdum obstructionem mesenterii cauifari possunt, in primis quando vitium in dieta commissum accedit; attamen non possum cum hocce *Virro doctissimo* obstructionem pororum cutaneorum pro causa immediata sive proxima Atrophiae, ut ille venditat, habere, sed saltim pro causa remota, quae occasionem suppeditat, ut obstructio in mesenterio fieri possit, & si haec adest tum primo oritur Atrophia. Si enim verum esset assertum *Dn. D. Chuden* sequeretur, ut omnes infantes, quotquot hanc aspicerent lucem, deberent, nisi saepius essent loti, accipere Atrophiam, quod vero contra omnem quotidiam experientiam, scribit enim *Vir clarissimus in scripto cit. J. XII.* quod omnes infantes, quotquot nascerentur, habeant obstructos cutis poros tali materia, quae vocatur crinones obfessos.

§. XIII.

Haud possum supersedere hac occasione illius opinionis facere mentionem, quam non solum vulgus, sed etiam multi celebres medici fovent de viscosis illis recreamentis, que in §. *præced.* nominavi, dum putant, illa esse verimes vitam possidentes, qui causa essent Atrophiae, quia bonum nutrimentum, quod tenelluli ex lacte ac cibis accipiunt, sufferrent. Inter fautores hujus sententiae maxime eminent *Celeb. Ettmüllerus*, qui per microscopium eos vidisse gloriatur, eorumque figuram in *Operibus suis* tradidit, ubi illos nominat vermiculos seu animalcula vivi, coloris subcinericii, cornibus seu potius antennis binis

lon-

longe prominentibus instructos, oculis rotundis, crassiusculis cum cauda oblonga, in fine villosa, uno nomine aspectu horrida. Heic primo queritur, an ipse non haecce recrementa jam pro vermis habuerit, priusquam per microscopium illa contemplatus fuerit, ut dein sibi talem figuram repräsentaverit, quippe mihi plures sunt noti, qui per microscopium omnes tales figuræ videre possunt, quas sibi antea sunt imaginati, postea licet verum esset, quod *Ettmullerus* talia animalcula viva in quodam subiecto viderit, haud tamen sequitur, recrementa illa tam in infantibus quam pueris repertibilia in omnibus esse vivos vermes, multi enim medici vermes vivos non potuerunt videre, licet in multis subiectis illa recrementa tam nudis oculis quam per microscopium contemplati sint, imo ego ipse vitam ac motum illos habere haud vidi. Quare potius cum aliis medicis statuo, in infantibus neonatis nec non ætate proiectioribus, in quorum poris tali quid reperitur, quod vocant erinones, ut plurimum esse excrementum quoddam viscosum, quod gestationis tempore collectum, & in balneo post partum haud recte est abstersum, quodque dein, quando infantes crescunt, & per transpirationem non noxia expelluntur recrementa suum capit augmentum. Interim penitus inficias ire nolo, nullos plane dari casus, ubi non vero adessent animalcula, cum medici quidam ea observaverint, verum enim vero credo in paucissimis subiectis saltim illa esse praesentia, & quidem in illis, in quibus humores nimis sunt depravati, in spurcitate externa vivunt, & materia illa viscida & excrementitia in poris cutaneis hærens in putredinem abit, ut sic ex ea generentur vermes.

§. XIV.

Alia causa Atrophiae hujus est nimia voracitas, cui teneri sunt dediti, quæque a parentibus per haereditatem ipsis saepe est donata, haecque in primis nocet, quando cibi admodum sunt mucidi ac viscidi, ut sunt panis recens vel haud bene coctus, pulmenta farinacea, caseus durus, carnes bubulae annosæ, valde & dense fibrosæ, exsuccæ & macræ, pisces marinæ, carnes fumo induratae &c. quæ non bene in ventriculo tenellorum concoqui possunt, ut bonus eliciatur chylus, quiq[ue] separatur est crassus & minus idoneus pervenienti per glandulas mesenterii ad M.S. sed successive in iis portio stagnat, & cum tempore in totum obstruuntur. Hoc eo citius fit, quando potus non est purus ac dilutus, sed multis particulis terreis minus solubilibus refertus, uti sunt quedam aquæ & si cerevisiæ novellæ, crassæ, feculentæ & corruptæ, vîna acida, rancida & immatura assumentur. Motum si pueri vel pueræ non habent, sed semper in uno loco sedere debent, quoque suum confert symbolum, quippe tunc digestio non rite peragitur & humores crassi haud fiunt fluxiles. Cibi acidi adhuc plus nocent quam mucidi, a quibus in Lusitania uti Cl. Londinensem Medicus, Fridericus Slave in A. E. L. anno 1716. Martrii p. 142. refert, frequentissime oritur atrophia. Dantur quoque observationes, ubi infantes vel pueri atrophia sunt affecti, quando aliquoties noctu, dum fuere calefacti & sudore perfusi, frigidus potus ipsis est datus, qui chylum, si adhuc quidam in ventriculo vel intestinis haeret, coagulat, & præterea etiam vase lactea & glandulas mesenterii constringit. Sic existat in A. E. L. an. 1701. Novembr. p. 522. quod multi pue-

ri cum prætumido abdomine & contabescentia corporis ad curandum sint oblati, ubi nulla alia causa inveniri potuit, quam quod noctu potum frigidum assumere fuerint adsueti. Febres intermitentes uti sunt quotidiana, tertiana, quartana, si invadunt infantes, & a medicis imprudentibus cum cortice chinæ, croco martis adstringente, alumine vel aliis adstringentibus suppressimuntur, priusquam causa morbifica est remota, tunc presso pede sequitur atrophia, quia non modo causa morbifica febris in corpore relinquitur, quæ variis noxiis ansam præbet, verum etiam ostiola vasorum lacteorum, ipsa chylifera vasa, nec non glandulæ, per quas hæc transeunt, nimium constringuntur atque obstruuntur, hocque modo chylo aditus per ductum thoracicum ad M. S. præcluditur atque impeditur. Hoc etiam fieri sœpius in praxi constitutis licet observare ab adstringentibus, in diarrhoeis tam a vulgo quam medicis statim in principio adhibitis. Opiata non recte usurpata multum quoque conferunt ad procreandam atrophiam, quippe tonum omnium partium nimis relaxant, & per consequens vasorum lacteorum & glandularum mesentericarum, quarum tonus si est dejectus chylus adfluens non rite propellitur, sed in illis stagnat. Achoris, tinea capitis, crux lactea, quando per frigus vel mala medicamenta retrahuntur, & materia illa acris fertur ad mesenterium, glandulas ibi sitas constringit, ita refertur *Aet. Medic. Berol. Vol. IV. an. 1718. p. 54.* exemplum, ubi puella V. annorum ex achoribus & scabie retropulsis, Atrophia cum febre abdominalisque duritie est afflita.

§. XV.

Magnus numerus infantum in nostris regionibus quo-

quoque morbo hoc admodum pernicioſo infestatur ab uſu potuum nimis ſpirituosorum, inprimis ſpiritus vini vel frumenti, qui a multis parentibus, & heic Halæ præfer- tim a ſalib coetoribus qui vocantur *Hallorum* tenellulis in cunis interdum adhuc jacentibus ad roborandum corpus datur, quantum vero exinde oriatur damnum, firmifimis argumentis hiſce hominibus haud eſt persuadendum. In- terim credunt, ſi infantes omni carne privantur, morbum eſſe ex fascino, tamque absurdā loquuntur, ut illi, qui me- lius hocce intelligunt, aures obſtruere interdum neceſſe habeant. Hac de re inter alios ſcribit *Celeb. Cofchmirzius*, *Fauor ac Preceptor meus honoratissimus in ſua Patholo- gia*: *Portus ſpirituosſi, qualis eſt ſpiritus Vini, abuſive uſur- pari, chylum non modo turbant, & ad ſpiſſitudinem diſpo- nunt, ſed glandulas ventriculi & inteffini duodeni conſtrin- gendo, Menſtrui ſalivalis accessoriam eructationem, pro me- liori chylificatione requiſtam, impedituſt atque ſupprimunt.* *Cujus rei ſepiſſime in praxi quotidiana plūrima occurruunt teſtimonia de infantibus atropicis, qui tales, nimis credulæ ſuperiſtionis argumen- to, per incantationem aut fascinum creduntur ac ſu- ponuntur; cum tamen, facta debita cau- ſorum exploratione, dilucide pateat, ipſos parentes incanta- tores fuiffe, & ſub perverſa ac intempeſtiva actum conco- etionis promovendī cura, infantes tenellos ad hoc malum diſpoſuiffe.* Concentrata ſpirituosa vero, uti eſt ſpiritus vini, vario modo in corpus humanum agunt, primo enim coagulant chylum ac reliquos humores, quando enim ad- jicimur ſpirit. vini vel frumenti reſtitutum laeti, caſeo- ſa materia decedit ad fundum, cum itaque chylus fere nil aliud ſit, quam lac, hunc quoque coagulare potest. Idem

fit cum sanguine, ex vena recenter emisso, si ipsi admis-
 eetur spirit. vini statim serosa pars secedit a parte crassa,
 quod alias primum fit post semihoræ spatium, si sanguis
 libero aeri exponitur, quare in corpore nostro simili
 modo potest coagulare sanguinem, ut inde varii infarctus ac
 scirri sua trahant incunabula. Cur autem spirit. vin. hu-
 mores corporis nostri coagulet varii medici ac chymici va-
 riām allegant causam, mihi vero est probabilissima depen-
 dere illud ab acido, quod est in spirit. vini, innixus experi-
 mento, quod allegat *Ill. Stablius in Zymotechnia sua p. 122*
 ubi per injectionem salis cujusdam alcali in spirit. vini ex
 inde produxit verum sal medium sive digestivum. Salia
 media vero ex nullis aliis principiis esse conflata, quam
 ex sale alcali & acido quodam, illis est notum, qui prin-
 cipia chymiae primis saltim labris gustarunt. Deinde e-
 tiam spirit. vini constringit partes solidas & hoc modo
 salivæ se & excretionem cohibet, qui humor ad digeren-
 da alimenta admodum utilis & necessarius est, constringit
 etiam glandulas in ventriculo sitas, liquorem gastrici
 fecernentes, simile officium cum saliva habentem,
 constringit quoque vase lactea & glandulas mesenterii, &
 sic chyli aditum ad M.S. prohibet. Spiritum vini vero
 fibras constringere posse variis experimentis illustrari pot-
 est. Quando enim asservare cupius partem quandam
 mollem corporis humani, imponimus illam spiritui vini,
 & sic per XXX. & plures annos a putredine præservari
 potest, nullam aliam ob rationem, quam quod pori car-
 nis constringantur & hoc modo aeris ingressus quodam
 modo præcaveatur. In vulneribus ac haemorrhagiis ex-
 ternis quoque se stypticum probat, quando scilicet ca-
 lidus

Hic applicatur, sanguinis fluxus statim sistitur, quia tubuli sanguiferi constringuntur, & sanguis, qui in ipsis reperitur, coagulatur. Hæcce phænomena itidem dependent ab acido, quod continet spiritus vini. Similem effectum constrictorium in glandulas mesenterii præstitisse & hocce modo Atrophiam produxit aquas cum vino destillatas observavit *Ioan. Jacob. Wepfferus* in observ. medico-practicis, de effectibus capitum in & externis observ.

CXVIII.

§. XVI.

Prognosin in morbis dare est difficillimum, quoniam variae causæ externe possunt bonum exitum, quem medicus predixit, alterare atque prohibere, quando vero malum exitum nuntiavit, per naturæ vires vel aliis rationibus causâ morbifica interdum vincitur. Interea aliquando medicus firmam potest dare prognosin, si recte morbi genium atque causas perscrutatus est, talibusque, si spes salutis adest, instructus est remediis, quæ causam morbi removere valent, eaque debito modo adhibere ipsum non latet, & ægrotis serio inculcat illas res, a quibus tamquam noxiis abstinere debent, hique medico faciles præbent aures & obsecundant, & Deus O. M. sua benedictione adest.

§. XVII.

Lumbrici si in intestinis tenuibus hærent facilius & que possunt necari, ac si sedem suam habent in crassis, & licet remedia anthelmintica, quando ad crassam perveniunt, intestina cum fæcibus alvinis sint mixta, & maximam efficaciam amiserint, tamen per clysterem infra commendatum quoque possunt vita privari. Heic dicere aliquis

D 3 posset,

posset, lumbrici in intestinis crassis hærentes non possunt
 absumere chylum & hoc modo producere atrophiam,
 quia nullus adest, sed respondeo, chylum utique in intestino
 colo adesse, & separari, ac in vasa laetitia ibidem sita
 vehi, quia haec nudis oculis in canibus possunt videri, &
 quod in primis assertum meum probat, sunt observationes
 illæ, ubi in hec tica aliisque morbis, in quibus ægroti neque
 ingerere neque digerere potuerunt, clysteres nutri-
 entes ex lacte ac saccharo sunt adhibiti, post quorum usum
 ægri sunt recreati & quodammodo nutriti, si itaque
 nulla vasa laetitia in intestinis crassis essent, clysteres nutri-
 mentum corpori præbere haud potuissent, quia ad intestina
 tenuia ob magnam valvulam Bauhini pervenire haud
 possunt. Vid. *Magnif. Hoffmannus in Medicinæ rational.*
Systemat. Tom. I. part. II. Cap. VI. §. XIII. & XIV. p. m. 195.
 Accedit & illud, quod raro quædam lumbricorum copia
 in intestinis crassis hæreat, ubi simul in tenuibus non quidam
 essent præsentes, quare hi devorando chylum id ad-
 implet, quod illi præstare haud valent, ut ex multa con-
 sumtione chyloſi succi tandem oriatur atrophia. Ascari-
 des difficilis quoque lumbricis in intestinis tenuibus sta-
 bulantibus per remedia ore tenus oblata excernuntur.
 Vermes qui vocantur lati, quia communiter univer-
 sum intestinorum systema occupant, ac in admodum magna copia adsumunt, expulsioni pertinacissime solent resistere. Insuper adhuc indicandum est, vermes in intestinorum canale hærentes, cujuscunque generis sint, non una vice posse necari, sed successive, ita ut
 aliquot dies imo interdum hebdomades ad illos expurgandos requirantur. Quando vero in totum sunt expulsi & præterea nulla obstrutio vasorum laetitorum vel
 glan-

glandularum mesaraicarum est præsens, æger postea, nisi atrophia nimis sit inveterata, facile post adhibita alimenta nutrientia cum pristina valetudine potest redire in gratiam.

§. XVIII.

Secundæ Atrophiæ speciei, quæ ab obstructione vasorum lacteorum dependet, prognosin quod attinet, illa est curatu facilissima, quando scilicet causa ipsius est tenax ac viscidus quidam mucus, qui ostiola vasorum lacteorum obstruit. Hic facili negotio per remedia incidentia, resolventia, & diluentia succesive resolvi & postea laxibus laxantibus ex intestinorum canale educi potest. Quando vero oritur ab imprudenti adstringentium, vel etiam nimio usu salium, vi constringente præditorum, multo longius ut plurimum requiritur tempus ad curandam Atrophiam, quippe fibris constrictis non tam facili negotio per humectantia ac relaxantia remedia elater ac tonus, quem antea habuere, potest restitui, sed continuatus illorum medicaminum requiritur usus. Origo nostri morbi si adscribenda est abusui remediorum absorbentium, & malum jam diu duravit, ut materia soliditatem quasi acquisiverit, in arte nostra non est positum, ut statim causam hancce removeamus, sed si spes salutis adhuc adest, diu cum medicaminibus est continuandum, multi vero vitalia linquunt lumina. De ea Atrophia, quæ oritur post dysenteriam ab erosio ostioli vasorum lacteorum prognosin format *Celeb. quondam Lipsiensum Medicus, Langius, in suis Oper. Part. II. Disp. XXI. p. 279. dum dicit: Quodsi atrophia a consolidatis vajorum lacteorum orificiis perque citatricem clausis oritur, curam certe nullam*

ad-

admittit, sed tanquam lethalis Deo atque Fato est commendanda.

§. XIX.

Atrophia, quæ oritur a glandularum mesaraicartum obstruktione curatu est difficillima, quippe humor stagnans partemque obstruens non facilis negotio potest resolvi ac discuti, sed admodum longum upplurimum requiritur tempus, & quando diu remedia sunt continuanda, infantes vel etiam pueri medicamenta tamquam res ipsis admodum ingratis respiciunt, sicut medicus finem suum asssequi haud valet. Malum quando est inveteratum, non solum mesenterium, sed sèpius etiam aliæ partes internæ uti Hepar, Lien, Pancreas, Renes atque Pulmones sunt infarctæ ac scirrhosæ, uti sectiones atrophicorum ostendunt. Vid. A. N. C. an. 4. obs. 77. & Act. Medic. Berol. Decad. I. Vol. VII. p. 77. & 78. nec non Decad. II. Vol. II. p. 83. & tunc raro aut nunquam curatur. Febris lenta quando jam præsens est, impossibile fere est ea adhibere remedia, quæ infarctum resolvere possunt, quippe hæc febrim exasperant & hoc modo multa mala inducuntur. Bonum signum est, & curationem & salutem promittere licet, si coctio perfecta & bona sese sistat, si appetitus redeat, tumor abdominis decrescat, vires recolligantur & si non nimis diu duraverit. Obstructio mesenterii quando oritur a perverso adstringentium & spiritus vini usu, nec non a scabie retropulsa, curatio est difficilior, quam si ab alimentis mucidis ac tenacibus est orta, ea ex ratione quam in §. præced. adduxi, & quia recrementa scabiosa non facile iterum possunt expelli. Atrophia quando originem habet a febribus intermittentibus sup-

suppressis, & hi per convenientia remedia possunt revocari, spes salutis adeat, quando vero non in artis est potestate valde difficilis est curationis. Dolor quando ad huc adeat in scirro bene sperandum esse *Practici* affirmant, quia testaretur materiam infarctam adhuc paulo mobilem esse, & facilius resolutioni obsecundaturam. Si nimia diarrhoea adeat, & materia purulenta admodum fetida cum sanguine mixta per alvum excernitur, corpus insuper valde est emaciatum, medicus prudenter se ferit, quando curam in se non suscipit, fere omnes enim ex vita discedunt, eam potissimum ob rationem, quia diarrhoea consumit reliquas vires, quae adhuc adfunt, & fetida illa materia cum sanguine mixta indicat corruptionem in abdomine jam esse praesentem, quae per nulla pharmaca curari potest. Quando infactus vel scirrus in exulcerationem abit, quod ut plurimum fit, quando imprudenter humectantia ac relaxantia externe adhibentur, supervenit febris hectica, quam indicat urina flammea & rubicunda, interdum cum sedimento rubro, nec non aestus ac phlogoses post cibum, ut plurimum tunc infantes secundum plurimum medicorum assertum succumbunt, & ego non recordor, unquam quendam in infantili ac puerili aetate constitutum evasisse, ubi vera febris hectica adfuit, licet mihi adhuc in recenti sit memoria, feminam quandam XL. circiter annorum, quae ante semestre meo utebatur consilio, misere laborasse vera febre hectica, omnia enim aderant symptomata, febri hectica propria, & quidem, ut ego juste conjecturare poteram, ex lassione quadam Lienis, quae tamen Deo Benedicente post aliquot hebdomades per decocta, quibus ingrediuntur radices ac

E

her-

herbæ, quæ moderate abstergunt atque discutunt, est restituta, febris enim filet, vires antea prostratae sunt restauratae, appetitus rediit, & patiens sua negotia domestica iterum potest peragere.

§. XX.

Dum ad Therapeuticam affectus praesentis pertractationem me accingo, in limine ipsius statim monere utile esse duxi, curationem Atrophiae non uno eodemque modo posse fieri, sed secundum causas, etiam corporum constitutionem, aliasque circumstantias variare, morbos enim curare nihil aliud est, quam ipsorum causas removere. Itaque primo tradam, quomodo vermes, qui Atrophiam possunt causari, sint eliminandi. Ad hoc opus perficiendum duæ indicationes requiruntur: I) Vermium enecatio II) ipsorum eliminatio. Sine enecatione enim non potest commode fieri eliminatio, quia dato quodam purgante vermes praesertim majores osculis suis firmiter adhaerent intestinis, eaque valde lancingant & arrodunt, nullusque vermis expellitur. Quando itaque lumbrici in intestinis tenuibus vel lati in intestinalorum canale haerent, ad hosce necandos commendo *Essentiam ex parte una Essentia stomachica B. Richteri*, quam descripsit in seinem Unterricht von der Gesundheit und deren Erhaltung dem andern Theil im XI. Cap. p. m. 849. Et una parte *Essentia Tanaceti*, de qua ter per diem sumi potest. Ad eliminandos autem vermes, ne in putredinem abeant & dira mala provocent, in usum est trahendus pulvis purgans sequens: Recip. C.C. fn. ign. gr. VI. Ref. Jalap. ppt. gr. III. Mercurii dulcis rire ppt. gr. II. ol. d. anis. gr. I. M. f. Pulv. Essentia per II. vel III dies potest adhiberi, dein die IV mane pul-

pulvis purgans, hocque fieri debet ter vel quater servato
præscripto ordine. Hæcce remedia non debent propina-
ri Luna accrescente, sed decrescente, quia multi medici
prætici observarunt, hoc tempore melius succedere eli-
minationem vermium quam illo, ubi bonis datis anthel-
minthicis nullus utplurimum evacuat vermīs, & licet
quidam id negarint, non observationibus sed suis opin-
ionibus innixi, quia non comprehendere possunt, quomo-
do luna ad hæcce opus aliquid contribuere possit; alt quam-
quam non semper rem quandam a priori demonstrare ra-
tio nostra valeat, tamen eam prorsus negare, si a poste-
riori veritas ostendi potest, mihi absonum videtur. Qui-
bus placet fortia anthelmintica in usum trahere, illi ab hi-
scē abstineant, quando vermes pariunt nimios dolores,
sed potius delinientia atque antispasmodica adhibeant, pla-
catis vero vermis, illa interdum usu venire possunt,
proveniunt alias multæ exinde noxæ, uti observavit Ma-
gnif. Hoffmannus, cujus vide sis *Medic. rational. systemat.*
Tom. II. Part. II. Cap. XI. & VI. p. 323. Uno mense si non
omnes vermes eliminari possunt, altero mense illorum u-
sus est repetendus. Dosis horum remediorum quoniam
differt ratione ætatis, temperamentorum, corporum con-
stitutionis accurate determinari a me heic non potest, sed
quilibet, qui per varios casus medicos judicium præticum
acquisitus est, pro circumstantiarum ratione facile dosin,
quando ægrotum talem in curam accipit, rite ordinare
valebit. Essentiam hancce ob suam amaritatem vermes e-
gregie necare experientia confirmatum habeo & pulvis
laxans quoque absque incommodo eos evacuat, ac Mer-
cur. dulcis, qui eum ingreditur non solum eos eliminat,

sed etiam ipsos, quando adhuc vita fruuntur, necat; de cuius singulari virtute vid. *Celeb. Boyle tract. de Specificis & Magnif. Hoffmannus loc. jam cit. dicit*, mercurium dulcum purgante datum omnium aliorum anthelminthicorum vires exsuperare, nec non in *Act. Med. Berol. Decad. Vol. II. an. 1717. p. 61.* exstat casus, ubi cum mercur. dulci ex puella V annorum ingens ascaridum copia per intervalla est evacuata. Loco commendatae Essentiæ etiam præsertim in pauperibus *Semen Santonici* seu *Ciræ*, melli ac rob Sambuci involutum usurpari potest, post cuius usum quantitatem lumbricorum insignem excretam fuisse observavi, nec obstat, quod quidam medici de hoc semine affirment, illud nempe ob suam acrimoniam ac amarietum noxam inferre, ego enim a teneris subiectis absque ullo incommodo usurpatum fuisse scio. Interim nimium illius usum haud approbo, præsertim absentibus vermis, quippe tunc utique nocere potest, de quo videantur *Zwingeri Observationes*. Quidam illud dare solent in decocto ex lacte parato, sed quoniam nimis amarum fit, ut pueri assumere illud recusent, modum huncce usurpandi disuadeo, quia quando melli ac rob sambuci est immersum, præsertim si nesciant, quid in illis lateat, numquam comedere detrectant.

§. XXI.

Debiles quando sunt ægroti & hanc essentiam & pulverem non ferre possunt, in horum locum substituere licet *pil. ad modum Beccheri præparatas*, quæ non solum vermes necant, sed etiam ex intestinorum canale eliminant. Infantibus lactantibus hæ etiam dari possunt. Si post usum anthelminthicorum internum vermes non ex-

cer-

cernuntur, *clysteres* ex lacte & saccharo paratos ad intestinorum canalis finem invitasse & postea excretos fuisse observarunt *Magnif. Hoffmannus in Collegio Practico* & *Langius l.c.* Quando lumbrici in intestinis crassis hærent, cuius rei iusta suspicio adest, quando remedia interna nullos lumbricos ejecerunt, & tamen certum est, atrophiam ex vermis adesse, nec non si ascarides in intestino recto suam habent sedem, remedia per os superius data, ut plurimum sunt inertia, ob rationem in §. XV. allegatam, sed *clysteres antihelminthici* egregiam sane præstant opem. Potest huic fini satiscacere sequens: Recip. *Rad. Graminis Herb. Tanaceti ana Mj. Summir. Absynthii Mj. Allii Drachm. II.* Coque in lacte ad remanentiam Unciar. VIII. Colatur, adde *Fellis Tauri Scrup. I. Oleum Absynthii cocti Drach. II. Sal. comm. Drach. I. M. f. l. a.* Clyster. hic aliquoties applicari potest. Abstinendum vero est ab hocce, quando vermes saltim adfunt in intestinis tenuibus, quoniam isti tunc sentientes amaritatem clysteris sese conferunt ad ventriculum & ibi variabile provocant. Hisce remediis quoque jungi potest inunctio abdominalis cum oleo *absynthi.* Et *Zedoar* non solum quando lumbrici in intestinis crassis ac tenuibus, sed etiam quando lati cucurbitini sunt præsentes, quibus effectus internorum remediorum promovetur. Sine internis remediis *bilis bovina* externe adhibita interdum etiam vermes necat. Evacuatis tandem omnibus vermis ad referanda vasa lactea, quæ non exacte patula esse solent, quia hucusque chylus ea non debite permeavit, nec non ad roborandum ventriculum, intestina reliquaque partes commendo sequentem *Tincturam:* Recip. *Tinct. Vi-*

eriol. Mart. operitiv. Ludovici Drach. II. Tartari Drach. I.
 M. d. De hac pro ætatis & subjectorum conditione dari potest. Tandem ad nutriendum corpus adhibeantur illa alimenta, quæ chylum laudabilem producunt, uti sunt jucunda confortantia vie *Krafft: Gruben*, gelatinæ, ova sorbillia, animalium juniorum carnes succulentæ &c. Infantes adhuc fugentes, posteaquam tonus partibus est restitutus lac tamquam bonum nutrimentum habent, modo crassis ipsius, quando peccat, per congrua remedia nutribus exhibita corrigatur & quod bene notandum, mammae non tam saepius dentur, uti perversus est mos, quando præsertim nutrices multum lactis possident & infantes sunt debiles. Ablaçatis lac quoque egregium præbet nutrimentum, in primis caprillum atque asinum, quæ multas particulas oleaginosas continent & lac, quia jam est uti chylus, non tam robustum requirit ventriculum, uti cibi duriores, alt hæcce sedulo obseretur cautela, ut, quando pueri multum acidum in stomacho fovent, ante usum lactis aliquot guttulæ *olei tartari per deliquium* ordinentur, quo acidum præcipitatur & in sal digestivum convertitur, quod lactis coagulationem impedit, dein etiam una vice non nimis larga quantitas est assumenda, ne Ventriculo plus justo imponatur, quam ferre potest. Præterea adhuc moneo, quod omnes r̄es quæ ad genesin verum aliquid conferunt sedulo sint vitandæ, ne malum iterum recrudescat.

§. XXII.

Ad secundæ speciei Atrophiæ curationem me jam confero. Quando causa est mucus quidam viscidus, ostiola vasorum lacteorum obstruens, ad illum incidendum ac

ac resolvendum sequentem commendo pulverem: Rec.
Salis digestivi Syleii Scrup. II. Absynthii Scrup. I. M. f. pul-
vis. Qui vero a pulveribus abhorrent nec non infantibus
dari potest *Liquor terræ foliata tari* eo modo præpa-
ratus, quo eum descripsit *B. Dn. D. Stabel in sua Chymia*
Dogmatico-Experimentali Tom. II. Cap. XXI. p. 279, qui le-
ni modo quoque egregiam præstat opem. Hisce pulve-
ribus vel liquori interponi etiam debent ea, quæ materi-
am hancce evacuant, cui usui infervire possunt *pil. ad*
mentem Beccheri præparata, vel *pulvis purgans* in §. XX de-
scriptus in infantibus vero fugentibus *Syrupus de Cicbo-*
rio cum Rhubarbaro & Oxymel Squilliticum. Jungenda in-
super hisce medicaminibus sunt diluentia, inter quæ prin-
cipem locum adscribo aquæ simplici, quæ levis est & non
multis terreis ac impuris particulis referta, qualis est aqua
pluvialis & quæ huic similis per destillationem a partibus
crassis liberata. Verum enim vero aqua pluvialis non sub-
iectis est colligenda, quæ multas possidet impuritates,
sed sub libero & aperto cælo & postea conservanda in si-
gulinis vel vitreis vasis sedimento prius deposito maxime
in locis frigidioribus. Aquæ huic calefactæ pro lubitu
etiam injici possunt herbae, quæ resolvunt ac roborant,
uti sunt herba Thee, Veronicae, Hederæ terrestris &c.
Quando malum ortum est a nimio salium mediorum &
imprudenti adstringentium usu, tunc ea sunt in usum tra-
henda, quæ demulcent ac fibras constrictas relaxant, quæ
inter commendo *oleum amygdalarum dulcium* in debita do-
si ac ordine usurpandum. Cavendum vero est, ne justo
diutius usurpetur, alias noxam inferre potest. Postea re-
serandi gratia adhibeatur *Liquor terræ fol. tari*. Si ve-

ro malum oritur a nimio usu terreorum absorbentium,
Infusa diluentia, quæ in præcedentibus nominavi, ut &
laxantia uti pulvis purgans commendatus vel *Pil. Beccheri-*
anæ optimam ferunt opem. Exstirpata sic causa morbi-
fica, observentur ea, de quibus in §. præced. dixi. Cau-
telam quandam in curatione adhibendam adhuc adjicere
utile ac necessarium esse duco. Obstructis ostioliis va-
sorum lacteorum sæpe oriri solet diarrhea, ubi multæ
partes chylosæ excernuntur, quæ per vasa lactea perve-
nire haud possunt, quam sistere quidam conantur adstrin-
gentibus, ast malum semper pejus reddunt, quare ego
potius unicuique consulo, ut causam morbi removeat,
quia tunc hocce symptoma sine remediis adhibitis cedit.

§. XXIII.

Antequam ad therapevticam tertiae Atrophiæ speciei
me accingam, de præservatione ipsius pauca monebo. Ob-
servavit sedulo *Cl. Dn. D. Chuden l.c.* illos infantes, qui sæ-
pius post partum lavantur, non tam facile non modo in
hunc, verum etiam in alios cutaneos morbos incurriere,
quam alii, in quibus hoc est intermissum. Quod quum
rationi & experientiæ respondeat, auctor suasorique sum,
ut *balnea* iteratis vicibus primo mense post partum adhibe-
antur. Parati hæcce possunt ex aqua simplici & herbis e-
mollientibus, roborantibus atque nervinis, uti sunt *Herba*
Althæa, *fl. chamomillæ* utriusque herb. & sum. *millefolii*, *mal-*
væ, *majoranæ*, *origani*, *serpilli*, *melissæ*, *rosmarini* & *Salvia*.
Modum adhibendi & cautelas circa illum obserandas
quia satis bene tradunt *Cl. Chuden l.c.* & alii hic appone-
re nolo. Insuper cause reliquæ, quæ ad atrophiam gi-
gnendam aliquid conferunt, sedulo uti in duabus aliis A-
trophiæ

trophiae speciebus sunt vitandae, quia morbi melius praeservari quam curari possunt.

§. XXIV.

Quando vero Atrophia jam est praesens & originem suam habet a nimia voracitate alia via est ineunda, interna nempe remedia in usum quoque sunt trahenda. Corpus itaque primum ad curationem est præparandum, quod fit, dum ventriculum & intestina ab impuritatibus, quibus sunt referta, liberamus. Hocce nobis ostendit ipsa natura, dum vomitum interdum concitat, & impuritates ex ventriculo duodenio ejicit, quare naturæ minister diligenter, quando certus est, farraginem impurorum humorum in ventriculo haerere, id imitari & ut cruditates removat, omnem debet navare operam. Ad quem scopum obtinendum commendabo *tirillationes in faucibus infantum cum digito, vel porum aquæ calidæ, cui injectum est pauculum salis comm. & olei oliv.*, post cuius usum ac repetitionem si non sequatur emesis (sequitur vero plerumque) ad lenia vomitoria est confugiendum, ubi *Tart. emet. Mynsichtii* in aqua scenical. vel menth. solutus, aut pulvis rad. hypsecacoannæ, quando prudenter adhibentur, egregie proficiunt. Reliqui pravi humores, qui in intestinis haerent, per pil. ad modum Beccheri præpararas, vel per pulv. purgantem in §. XX. commendatum, vel etiam per pulv. sequentem, ubi variat dosis secundum ætatem aliasque circumstantias, eliminari possunt; compositio ipsius est sequens: Rec. Refin. Jalapp. gr. III. terantur cum Amygdal. excorticat. Sacchari caporiens. ana gr. VIII. Hic pulvis, quia teneri remedia plerumque recusant, in testam potest injici, cui superaffunditur decoctum fabar. Coffeæ, hocce modo *la-*

xans remedium occultatur, & pueri sine nausea illud adsumunt. Infantibus fugentibus, ut & illis, qui admodum teneræ sunt constitutionis, loco hujus pulveris *duo syrups superius laudati*, vel etiam *pil. Becherianæ* in usum trahi possunt. Hocce modo quando semel vel bis evacuatæ sunt primæ viæ laxantibus hisce medicamentis sunt interponenda illa, quæ obstructas glandulas mesenterii referant atque aperiunt, cui fini satisfacit *Liquor terræ fol. tartari* rite præparatus, qui in referandis obstructis visceribus egregie se commendat, & licet aliquandiu, quod in Atrophia fieri debet adhibetur, tamen nullum tale exinde provenit incommodum, quale a nimis longo salium mediorum usu timere debemus. Sic mihi noti sunt duo pueri atrophici, qui a medico magni nominis erant relicti, quia nulla salutis amplius apparebat spes & mors quotidie exspectabatur, quibus *B. Stabilis* solum huncce liquorēm per aliquot tempus dedit & ambo felicissime penitus sunt restituti, optimaque fruuntur sanitate. In robustioribus subjectis loco hujus liquoris quoque *Mixtura ex Tinct. animon. acri Stabilis vel tartarifat.* atque *Effent. Succini* sine alcali præparata in anatica portione mixtis usū venire potest, a qua quoque egregiam resolventem virtutem observavi. A perverso Spirit. vini & adstringentium usū quando malum oritur, eadem methodo cura instituitur, modo jungantur remedia antispasmodica. Insuper non omittantur *infusa rheiformia* in §. XXII. commendata, quæ non satis laudari possunt, quippe non solum diluunt ac resolvunt materiam in glandulis mesenterii stagnantem, verum etiam transpirationem ac diuresin, quæ necessariae se- & excretiones in hocce morbo utplurimum sunt impeditæ, optime promovent

movent. *Balnea præscripta* quoque, modo non sint nimis calida, haud sunt contemnenda, quia per aquam calidam pori cutanei aperiuntur, mucus, si quidam in illis hæret, eliminatur, transpiratio læsa iterum restituitur, & impuri humores, qui hucusque in corpore sunt collecti, per halitum insensibilem ejiciuntur. Hisce quoque jungi possunt *unguenta* & *emplastrum emollientia* & *resolventia*, quæ ab domini externe applicentur, quem in finem commendo *Unguentum ad Rhaebiridem infantum Cl. D. Sydenhamii*, cuius descriptio est hæc: Rec. olei lilior. albor. tamari-*sci ana Unc. II. Succi Rad. bryoniæ apii ana Unc. I.* bulleant ad succorum consumtionem, addendum postea *Unguentum de althaea Buryri insulæ ana Unc. I. Gummi ammoniaci in acer. solut. Unc. semis Ceræ flavæ q. s. M. f. l. a. Unguentum.* Inter Emplastrorum bonum esse judico *Emplastrum saponatum Barbætæ camphoratum*, quod non solum emollit sed etiam resolvit, quodque ita componitur: Rec. *Minit. Cerussæ, Saponis venetæ ana Unc. V. ole. olivarum Lib. I. Axung. porcin. Unc. semis. M. f. l. a. Empl. camphora*, quantum placet, imbuendum. Prudenter vero hæc a medico usurpari debent, ne nimia fiat emolliatio, ex qua oritur abscessus.

§. XXV.

Posteaquam methodo hac curatoria glandulae mesenterii sunt apertæ, & succo chyloso iterum libera via ad massam sanguinis est donata, partes debilitatæ iterum sunt roborandæ ac nutriendæ, ubi primum in finem commendo *Tinct. Vitriol. Mart. operitv. Ludovici*, quæ resolvit ac ro-

F 2 borat

borat, & a plurimis practicis recentioribus in glandularum
 mesaraicarum obstrukione commendatur, cui externe
 jungi possunt *balsama solida roboranria*, abdomini impo-
 sita, quæ præparari possunt ex ol. N.M. expr. ol. destillat.
Carvi, Rorismarini, Rutæ, Salviae, Aneth. Caryoph. Majo-
ranæ, ment. crisp. juniperi veri & Bals. Peruviano, alteri
 scopo autem inserviunt nutritia ac gelatinosa, de quibus
 in antecedentibus dixi. Febres intermittentes quando
 præmature sunt suppressæ, istæ, tamquam motus com-
 parate salutares per convenientia pharmaca sunt revocan-
 dæ, cui fini satisfaciunt *pulvis ex tart. vitriolat.* & *conchis*
succo cirri imbutis ana præparatus, qui ter per diem detur,
 vesperi autem *Pil. Beccherianæ* porriganter. Quæ reme-
 dia, si per unam vel duas hebdomades in convenienti do-
 si & ordine sunt adhibita, observavi, febrem revocatam
 fuisse, quæ, quando iterum adeat, methodo congrua est
 tractanda, ut resolutio infarctus promoveatur, & sanitas
 ægroti restituatur. A diarrhœa per adstringentia nimis
 cito suppressa quando atrophia oritur, illa quoque per
pil. Beccherianas est provocanda, & dein causa, a qua pro-
 venit diarrhœa convenientibus remedii est removenda.
 Quando a perverso opiatorum usu atrophia suam origi-
 nem duxit, obstrukiones sunt referandæ & tonus parti-
 bus restituendus, ubi *Tinct. Vitriol. Mart. aperitiv. Ludo-*
vici usum præstare potest. Si incrementa scabiosa a parti-
 bus exterioribus ad interiora sunt repulsa, ei proficiunt,
 quæ leniunt, temperant ac materiam peregrinam iterum
 ad habitum corporis externum promovent, uti sunt *nitr.*
depur., *tart. vitriolat.*, *regul. antin.* medic. & *cinnab. anti-*
mon.

mon. adjecta pauca quantitate sulph. vivi cum *infusis theiformibus* in forma pulveris adhibita, post quorum usum ut plurimum, quando malum est recens, recrementa ista iterum excernuntur & in cute tamquam parte ignobiliori sedem occupant. Quando vero malum est inveteratum, medicus in cura plerumque oleum & operam perdit, & æger diem obit supremum. Febris lenta quando in atrophia est præsens, ab omnibus calidis remediis est abstinentium, ne medicus febrem augeat, & interdum etiam ægrotum necet. Prolunt autem *nitr. depur.*, *concha citrata* & *materia perlata Krügeri* vel *animon. diaphoret.* potus non debet esse concentratus, spissus aut saturatus, sed aquosus. Ne limites dissertationis transgrediar, heic meæ impono colophonem. Plura equidem fateor adjici potuissent, sed veniam impetraturum mespero quum omnia, quæ plurimi amplis litterarum monimentis consignarunt, huic transcribere duxerim haud consultum. DEO interim O. M. pro benignissime suppeditatis ad hunc laborem viribus gratias ago, quas possum concipere, maximas, submissus rogans, velit & in posterum meis adesse conaminibus, quo omnia eedant in summi Nominis Sui gloriam & proximi mei ægrotantis solamen.

* * * * *

Prima TIBI diuae sophies, doctissime BOELI,
Florentes campos visere cura fuit:
Primum letiferos animae cognoscere morbos
Ac eius placuit pharmaca nosse sacra.
Hippocratis doctas post tractans sedulus artes
Corpora morborum vi releuare studes.
Sic prudenter agis. Sic mentis cura labores
Ac DEVS est orsus sorte fauente tuos.
Post pietatis amor tua fausto sidere coepta
Rexit, sperato composuitque modo.
Hinc dudum meritos, quos nunc assumis, honores
Ornabit varia prosperitate DEVS;
Ac quia sparsisti studiorum semina large,
TE nunc fortunæ messis opima manet:
Nil opus est igitur vororum syrmate longo.
Qui large seruit, largiter ille metet.

Hicce verbis Clariss. ac Doctissimo Domino Can-
didato Matrueli, ac autori suo insigniter co-
lendo, eruditioris eximium specimen ac ca-
pienda laborum praemium ex animo gratulari
simulque faustos in medicæ artis vñ succel-
sus adprecari absens voluit

F. A. F. ROTH,

Bombeccia-Palaeo-March. S. Theol. C.

Sic, docte BOELI, delicium meæ
Amorque mentis, sic placuit TIBI
Tandem graui dudum labore
Praemia sumere comparata!

Sic

Sic mira tandem purpureo tua
Cinget coruscans tegmine tempora!
Ast absque doctrina brabeum
Non cupis eximie probato.
Verum sagaci perspicis acriter
Cura & libello doctius explicas
Infantis artus, quae tenellos
Occupat attenuitque, tabem.
Recte. Salubri tramite permeas
Chironis artem: corpora languida
Infantibus sanare primum
Sollicitus merito fuisti.
Nam tardioris quo modo protrahet
Aetatis annos vel *Podalirius*,
Infantiles nisi dolores
Ante leuare truces studebit?
Quae, quum scinter praestiteris, tuis
Perdocte BOELI, coeptibus adiicit
Nunc ipsa calculos *Hygea*
Omnia multaque fausta pandit.
Absens fidelis gratulor hinc TIBI
Partos honores pectore, comprecans
Voto tuis caeleste factis
Auxilium medici supremi.
Hoc semper ausus prosperet ac beet!
Hoc TE virenti robore nutriat!
Ac sicut a multis malignant
Corporibus maciem repellis,
Sic, opto, curas, tabificas idem
A TE repellat! sic procul arceat
Ne fasta fata, ne dolore
Turbida mens TIBI maceretur!

Sic



Sic largior munere gratiae
Beante vires tuegas
Firmit, nec dregas TIBI sit,
Atropos ante diem timori.

Clariss. ac eleganter docto Domino BOELIO,
fautori propiore cognitionis atque in-
genuae amicitiae nexu sibi coniunctis-
simo, conatus promeritosque honores
sincera mente congratulans, exiguo
hosce numeros, in bene cupientis ac
deditissimae voluntatis qualecunque
documentum, scriptos voluit locorum
intercapedine non animo absens

GOTTFR. CHRISTIAN. ROTH,
Bombecca-Paleo-March. S. Theol. Cand.

Nun muß ich Werther Freund, an diesem Tage sehen,
Dich an demselben Ort der Candidaten stehen,
Wo Tugend, Müh und Fleiß der Ehre werth geschäft,
Und man den Doctor-Hut auf Thren Scheitel setzt.
Wer sollte Dir hierzu nicht freudig gratuliren,
Und Deinen Ehren-Tag mit Lob-Gedichten zieren?
Ich komme auch herzu doch ohne Schmeicheleien,
Und will mit anderen darüber mich erfreuen.
Du nimmst mit grossem Recht den Ehren-Titel an,
Der Dein erwünschtes Wohl genug befördern kan.
Jehova sei Dein Schuh und Schirm auf allen Wegen,
Und setze Deinen Stand der Deinen stets zum Seegen.
Hiermit wolte dem Herrn Candidato ergeben
gratuliren als ein specialer Landes-Mann und
guter Freund

Iohannes Israel Küderling,
Derenburgio-Halberstadiensis S. S. Theol. Stud.


01 A 6503


ULB Halle
002 928 06X



3

Sb.





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
**ATROPHIA
INFANTUM,**

*Quam-,
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
P RÆ S I D E*

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO FT. CONSIST. MAGDEB. CON-
SILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD.
NAT. CUR. COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, etc.

DN. DECANO SUO SPECTATISSIMO,
Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,
PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,
HORIS LOCOQUE CONVENTIS,

ANNO MDCCXXIX. D. MART.
Publicè ac placide eruditorum ventilationi subjiciet
AUCTOR RESPONDENS

JOANNES FRIDERICUS BOELI,
BERTCKOWIO - PALÆO - MARCHICUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.